



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 87. Reginae propositum de restituendis Ecclesiæ bonis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæc. XVI.
A.C. 1555.

§. LXXXVII.

Reginæ propositum de restituendis Ecclesie bonis.

*Burnet l. 2.
p. 460.*

Cum Regina in restauranda fide Catholica immotum præferret studium, pariter die vigesima octava Martii Viacomiensem Marchionem supremum Regii ærarii Præfectum, necnon Equitem Robertum Rossam Regii Palatii Inspectorem præter Guilielmum Petram, & Franciscum Inglefeldium Equites adesse iussit, eis significans, quod conscientiam suam onere haud amplius ferendo gravatam sentiret, quoniam adhuc bona, ac Monasteriorum prædia, quæ olim Henrico VIII. fuere adjudicata, nondum essent restituta: cum ergo ejusmodi bona schismatis tempore, mediisque omnino illicitis fuissent acquisita, nec ea absque secreto conscientie stimulo, ac anxietate retineri haud valerent: hinc eorum omnium restitutionem fieri se velle inquebat, ut juxta summi Pontificis arbitrium impendantur. Equidem Julius III. summus Pontifex declarabat, quod ejusmodi bonorum possessores illis frui possent, cum autem idem Papa contra illos, qui Ecclesie bona, ac Societatum Religiosarum redditus inique detinerent, aliam Constitutionem promulgasset, hinc Regina

gina assiduis angebatur curis, quamvis Gardinerus hanc timoratæ mentis agitationem sedare pro viribus niteretur, Reginæ exponens, quod hæc Pontificis Constitutio non nisi Germanos concerneret, nec ullatenus ad Anglos extendi posset, donec ibidem acceptata esset. Nihilominus Regina immota suo institit proposito, suisque Ministris præcepit, ut Polum Cardinalem accerferent, cui animi sui sententiam exponeret, atque ejusmodi bonorum, quæ adhucdum Angliæ Regnum usurparet, indicem tradere posset. Verum hujus consilii executionem Julii Pontificis obitus præpediebat.

§. LXXXVIII.

Julii III. Papæ obitus.

Julius Pontifex die Sabbati vigesima tertia Martii in Vaticano Palatio suo Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto obiit, postquam sexagesimum septimum ætatis annum unacum sex Mensibus, ac quatuordecim diebus expleffet, ac per quinque annos, unum Menses, & dies quatuordecim D. Petri Cathedram rexisset. Porro cum Medici, ut Pontifex ad sublevandos acutissimos Podagræ dolores consuetam vivendi normam mutaret, eidem improvido prorsus consilio suaderent,

Sæcul. XVI.
A.C 1555.

Ciacon. in
vitit Pont.
tom. 3.
p. 146. Et
754.
Spond. hoc
ann. n. 4.
Raynald.
hoc ann.
num. 12.
Pallav. l. 13.
c. 10. n. 7.
Et 8.
Panvin. in
vit Jul. III,
Sleidan.
febri l. 26.